



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 35. Induciæ Papam inter, & Hispanos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

quam arx obsideri cæperat, die deditio-  
nem fecerunt. In ea obsidione Joannes  
Tolfa, quamvis in crure faucius esset,  
turri tamen sese incluserat, omnesque  
strenue militis partes ea die explebat.

## §. XXXV.

*Induciæ Papam inter, & Hispanos.*

*Pallav. l. 13.*  
*c. 10. n. 13.*  
*Thuan. l. 17.*  
*n. 530.*

Cum uterque exercitus belli labores  
pertæsus esset, de sanciendo indu-  
ciis agi cæptum, hancque in rem San-  
florianus, & S. Jacobi Cardinales Ro-  
manis exponebant, eorum res adeo in-  
clinatas esse, ut nemini magis, quam  
ipsis pax exoptanda foret: Itaque die  
decima nona Novembris decem dunta-  
xat dierum induciæ sanciantur, easque  
Cardinalis Caraffa, ac Neapolis Pro-  
Rex suo firmant chirographo: Verum  
biduo post, cum ambo hi Ministri in  
proximam quamdam Insulam convenif-  
sent, atque in utriusque exercitus con-  
spectu per quinque ferme horas collo-  
querentur, induciæ ad quadraginta  
dies fuerunt prorogatæ, intra quod tem-  
pus pacis conditionis a Pontifice, &  
Caraffis propositæ ad Philippum Angliæ  
Regem perferrentur. Exoptabat pacem  
summis votis Albæ Dux, eoquod e re  
Principis sui esse cerneret, pace cum  
Pontifice facta res ea parte tranquillam  
relin-



relinquere, ut, si induciæ inter utrumque Regem factæ rumperentur, quod propediem factum iri apparebat, a tergo securus totas vires in Insubres, & Subalpinam regionem immitteret, & oppida his in Provinciis a Gallis nuper capta recuperaret.

Aliunde sperabat, quod tunc, si intra id tempus cum Pontifice pax iniri non posset, tantisper temporis lucrifaceret, quo militem continuo militiæ labore fessum, & rerum omnium inopia laborantem reficere, munimenta capta firmare, ac rebus suis providere posset. Nec ingratiæ Caraffis induciæ fuere, ab omni re imparatis, & in dies Guisii auxiliares copias præstolantibus.

## §. XXXVI.

*Simulata pacis propositio.*

Itaque ad conficiendum pacis negotium Fridericus Fantuccius Sedis Apostolicæ Nuntius a Pontifice, ab Albano autem Duce Pacecus, qui eidem a secretis erat, ad Philippum Regem ablegabatur; cum vero Fantuccius colloquii cum Duce habiti seriem Pontifici exponeret, facile is exinde animadverterat, quod Hispani firmam pacem inire cunctarentur, cum haud acceptandas proponerent conditiones. Aliunde etiam Pontificis animus erigebatur, eo quod brevi

Sæcul. XVI.

A C. 1556.

Pallav. l. 13.

c. 10. n. 15.

Aet. Consist.

20. Decemb.